

Licet Roma, ex rationibus *politicis*, Pantheon quoddam esset, ubi quisque ex quacumque terrarum regione civis deastrum suum inuenire poterat, videtur tamen, per suum ἀλλά καὶ, mirari apud Spartanos templum MORTIS Plutarchus.

## §. 6.

Quod Corinthi itidem templum MORTIS exstiterit, hoc ex loco Paullino in epistola ad Corinthos perscripta priori, Capite XV. Commate 29. colligi posse ego quidem plane negandum esse arbitror. Me iudice particula ὑπὲρ recte intellecta difficultates dissipat. Τί ποιήσασιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; τί καὶ βαπτίζονται ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; *Quid facient qui baptizantur 1) IN COMMVNIONEM mortis et martyrii?* Quotus enim quisque baptismo fluminis impertiebatur, particeps fiebat baptismi fluminis donorum spiritus sancti, idemque promittebat, si honor Christi eum exigeret, baptismum sanguinis. Ex eo ipso, quod baptizati erant, Christo nomen professi, gestare coeperant τὴν νέκρωσιν καὶ τὰ σίγματα Christi. 2) *IN LOCVM b) Mortuorum?* Qui fieret iis, qui quotidie, tametsi vident, Christianos propter fidem Christianam occidi, alacriter tamen baptismum suscipiunt, ut in ecclesia Christiana locum mortuorum suppleant, si *plane mortui non excitantur?*

## §. 7.

Romae autem obtinuisse aliquid, ei non dissimile, quod in TYNDARI, Dioiscuroorum patris, vrbe receptum erat, certius est. Sicuti enim Lacedaemone in Peloponnesi provin-

b) Sic ὑπὲρ est idem quod ἀντὶ in Dionysio Halicarnas. Lib. VIII. p. 113.